

sursum in cœlum oculos elevemus. Videt hæc remunerator Deus. Moriamur fortes in fide. Gloria erit æterna. » Tum illi præcisæ manus, os contusum lapidibus, lingua adusta. Utrique sub alas, et ad renes, ad igne candentes securæ admotæ; ignita e collo appensa collaria, e quibus candentes securæ pendebant; adjectum cingulum accensum e pice et resinatis corticibus; Joanne interea fortissimo silentio stante inter flammæ immoto, velut in extasi. Tum loqui cœlestia, qua poterat, incipienti os obseptum circulo, labra concepta, truncatus nasus. In baptismi opprobrium, et imitamentum, uterque aqua bulliente peresus totus, objectantibus barbaris debere sic eos baptizari, qui aiunt, quod sine baptismo nulla sit salus. Antequam ferali palo alligarentur, palum uterque amplexus est, et osculatus. Mox Joanni detracta superior pellis e vertice capitis, amputati pedes, caro e coxis ad ossa usque avulsa; mandibula securi diffissa, ferro ustæ plagæ, utrique, dissectum generosum pectus, evulsus cor nobile, atque a barbaris devoratum. NADASI, f. 59.

P. Antonius Iseida Japon ad sectam Japonicam identidem invitus frustra secum agi aiebat: Christi se esse, ac fore; agerent, cruciarent, occiderent. Ad minas respondebat, se ultra minas supplicia etiam expectare, ac velle se cum illis certare, utra pars prius, illine pœnas irrogando, an ipse irrogatas ferendo deficeret. Alios ex aliis cruciatus in hebdomadas, menses, annos accerere, et mortem lentam extenderent: hoc se in causa Christi cupere, hoc expectare, ut sentiat se mori. Nec fortius dixit, quam fecit. Anno 1631, 4 decemb., aquis sulphureis varie cruciatus, suspendebatur, juncturis undequaque vi dira extensis, et scapulis aqua bulliente peresus. Quo rerum articulo, cum illum sui cives iterum ad defectionem lacesserent, atque ut imperatoriæ voluntati obediret annueret, seque vere Japonem esse ostenderet, invitarent; his nihil motus, et (quod omnes stupere) ab aqua nihil adustus est. Ita per dies triginta, novis et semper variis sævitæ artibus tortus, iterum carceri redditus, demum hoc die lento igne combustus, victima gloriosa. Ib., f. 27.

P. Stephanus Pangraz Ungarus coorto tumultu hostibus obviis e conclavi progressus rostrata clava ferrea (bozogany vulgo dicta) valido ictu in pectore percussus, prostratus

est. Mox illi caput fune circumactum, tanquam vi compressum, ut mortuus crederetur. Tota illa nox in cruciatibus diris acta, tenerimis quibusque corporis partibus intra bombardarum rotas contortis. Cruciatu etiam est singulis digitis, gallo sclopi, ut vocant, subjectis et pressis, cum aures negaret promittentibus libertatem atque honores, si verbulo vel edito ad Calvinii partes transiret. Iterum id, iterumque contentissimo studio cum negaret Stephanus, dixere illi, se vero eum ad id tormentorum vi compulsuros. Mox illi ustulatum latus, usque dum prope esset exanimis. Ib., f. 263.

MATRIMONIUM.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est legitima viri feminæque conjunctio, ad consuetudinem vitæ individuum inter ipsos conjuges transigendam, divinitus instituta. Dictum est Matrimonium, quasi Matris munium, id est, officium, ut ait S. Thomas, vocaturque a Matre potius, quam Patre, quia Mater principaliter facta est ad generandos et educandos liberos, estque circa illos magis officiosa. Vocatur etiam *Conjugium*, de quo sic S. Ambrosius: « Cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen asciscitur; non enim defloratio virginitalis facit conjugium, sed pactione conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum virili admixtione cognoscitur. »

DIVISIO. — Dividitur ab aliquibus in *Civile* et *Ecclesiasticum* seu *Sacramentale*; illud est, quod per solum contractum civilem perficitur; quale est ethnicorum et Judæorum Matrimonium; hoc est, quod per contractum habentem rationem Sacramenti contrahitur. Utrumque subdividitur in *ratum* et *consummatum*; prius est, quod valide quidem contractum est, sed nondum per copulam carnalem consummatum; posterius est, quod consensu mutuo per copulam confirmato perfectum est. BUSEIUS, de Stat. Mat., c. 1.

CEREMONIE. — Quatuor sunt genera cœremoniarum, in Matrimonio adhiberi solitarum. Primum est *interrogationum prævia- rum*: quales juxta Marchantium sunt: an

castitatis votum non emiserint? an alteri fidem non dederint? an parentum consensus adsit? hæc etiam trinæ denunciations publicæ referri possunt, quibus quasi quærentur præsentés, an nullum impedimentum sciant. MARCH., in *Cand. myst. lect.* V, tr. viii.

Secundum genus est *Cœremoniarum* in ipso contractu Matrimonii adhiberi solitarum; quales sunt dextrarum contrahentium colligatio cum stola in symbolum fidelitatis et vinculi insolubilis: annuli in sponse digito insertio, ut hoc pignore sacro, mutua dilectione sic corda jungantur, ut nullus amor extraneus, accessus detur, nullusque odio locus.

Tertium est *Benedictio Sacerdotalis*, quam Sacerdos novis sponsis impertiri solet, Ps. LXXVII: Beati omnes, qui timeant Dominum, etc. eum in finem recitato.

Quartam est *Convivium nuptiale*: quod jam olim etiam usitatum fuisse, passim S. Scriptura testatur; et causam illius Athenæus his verbis assignat: Moribus et legibus scitum est, ut in nuptiis epulum fiat, tum nuptiales deos ut veneremur: ut pro testimonio id sit convivium, quod nuptis placeant suæ nuptiæ. ATHEN., lib. v.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Domus et divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie uxor prudens. PROV. XIX, 14.

Volo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasione dare adversario maledicti gratia. I TIM. V, 14.

Accipiens Virginem cum timore Dei, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abraham benedictionem consequaris. TOB. VI, 22.

Unusquisque uxorem suam, sicut seipsum diligit: uxor autem timeat virum suum. EPH. III, 33.

Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam. Mulieres viris subditæ sint sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ib. 25 et 21.

Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. TOB. VI, 17.

NECESSITAS. — Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. I COR. VII, 2.

Quod si non continent se, nubant. Melius enim est nubere, quam uri. Ib., 2.

UTILITAS. — Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim suam carnem odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. EPH. V, 28.

Unde scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies? I COR. VII, 16.

INSOLIBILITAS. — Propter hoc dimittet homo patrem suum, et matrem suam, et adheret uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. MATT. XIX, 4.

Omnis qui dimittit uxorem suam, aut alteram ducit, moechatur: et qui dimissam a viro ducit, moechatur. LUC. XVI, 18.

Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri: ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. ROM. VII, 2.

his autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcepto non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere in nuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem suam non dimittat. I COR. VII, 10.

DIGNITAS. — Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus esto; fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. HEB. XI, 4.

In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo et hominibus. Concordia fratrum, et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes. ECL. XXV, 1.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Multi facilius se abstinere, ut non utantur nuptiis, quam temperanter et bene utantur. Ego vero facilius non utar nuptiis, quibus usus est Abraham, quam sic utar nuptiis, quemadmodum usus est Abraham. S. AUG., de *Bono Conj.*

Propterea permissum fuit Matrimonium, ne ultra proprios terminos progredieris. Vide

enim, quanto dignus eris supplicio; nam Deus tuæ quieti et honori prospexit, ut et naturæ rabiem per uxorem compescere, et hoc absque periculo faceres, et ab omni turpitudine et dedecore liberaveris. Tu autem eum, qui tantam tui curam gerit ex redundanti quadam, et exuberanti copia, injuria afficis? S. CHRYS., in Ps. XLIII.

In nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri. S. AUG., de Bono conj., c. XXVIII.

Quæ potest capere, capiat: quæ se non continet, nubat: quæ non cœpit, deliberet: quæ aggressa est, perseveret: nulla adversario detur occasio, nulla Christo subtrahatur oblatio: in conjugali quippe vinculo si pudicitia conservatur damnatio non timetur. Ib., de Bon. vit., c. IX.

Quod bonum habent nuptiæ, et quod bonæ sint nuptiæ peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne per vinculum conjugale cum altera vel altera concubatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educatur. In Sacramento autem, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa proli alteri conjugatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitatis. Ib., lib. IX de Genes.

Habeant conjugia bonum suum non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, et procreatos pariter, salubriter, instanter educant quia thori fide invicem servant, quia Sacramentum connubii non violant. S. AUG., l. de Virg., c. XII.

In omni conjugio conjunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat, et perficit conjunctorum commixtio corporalis. S. AMB., de Patr.

Sapiens vir debet judicio amare conjugem, non affectu: reget impetus voluptatis, ne feratur præceptis ad coitum: nihil fœdus, quam amare uxorem quasi adulteram. In aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. S. IER., ap. Marc.

Justitia utendi conjugii hæc est, ut non explendæ libidinis, sed substituendæ proli affectu, conjuges sibi miscantur congruo tempore. In illis namque bonis, quæ fecit deus invenitur justa copulatio viri et uxoris, in quibus Dei operibus libido non potest reperiri, quæ hominibus non ex dono con-

ditionis, sed peccatoribus ex vitio primæ prævaricationis accessit. Sed quia sine illa in corpore mortis hujus, proles humana non feritur, non eam affectant conjugia casta, sed tolerant, eique imponit nuptialis honestas modum, sine qua non potest in carne peccati, naturalis explorare fecunditatis officium. Sic ergo ex nuptiis quæri debet fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus. S. FULG., ep. I, de Conj. deb.

Conjugatus si thori fidem non deserat, sed in uxore sua naturali dumtaxat usu aliquantum excedat, non solum generationem quærens, sed carnis libidini obediens, hoc equidem sine culpa non facit. Talis autem culpa facilius bene operanti atque oranti remittitur, quia ipsi conjugii servat maritalis charitas fidem, in qua non potest maritalis infirmitas custodire temperiem. Et si nuptialis in uxore modestia non tenetur, a nuptiali tamen fide nulla immoderatione disceditur. Ib.

Nuptiæ invitæ solent malus habere eventus. AMBROS., sup., ep. ad Corinth.

Nuptiæ carnales a lætitia incipiunt et in luctu terminantur.

Sine culpa ad matrimonium veniunt, si nondum meliora deoverunt. IERON., in ep. ad Ruffin.

UTILITAS.—Qui tentationum procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant; melius est nubere, quam uri. Sine culpa enim ad conjugium veniunt, si tamen meliora necdum deoverunt. S. GREG., lib. XXVI Mor.

Conjugium mihi bonum videtur, non solum propter filiorum procreationem, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem. Habet etiam in bonum, quod carnalis vel juvenilis incontinentia, etiamsi vitiosa est, ad propagandæ proli redigitur honestatem, ut ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio conjugalis. S. AUG., lib. XVI de Civ. Dei.

DIGNITAS.—Propemodum non inferioris virtutis est, abstinere conjugio, quo aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta nescire. S. AMB., l. de Vid.

Non est impar meritum continentia in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, quam in Abraham, qui filios generavit; illius enim celibatus, et illius connubium pro temporum distributione Christo militarunt. S. AUG., de Bono conj. c. XXXII.

Ita fiunt honorabiles nuptiæ, quando ra-

tionem conjugii non præit obscena voluptas, sed jacto secundum leges divinas sancto fundamento, matrimonium necessario sequi voluptas ipsa concubitus, unamque carnem duos facere deprehenditur. S. BASIL., de Vera virg.

Revera magnum mysterium est, relicto parente eo, qui genuit, eo, qui aluit, etiam, ea, quæ peperit, quæ misere et cum labore parturivit, illis videlicet desertis, qui tanta beneficia præstiterunt, quibus cum consuetudo tracta est, adherere virum illi, quæ antea neque visa sit, neque aliquid commercii cum illo habuerit, atque hanc etiam omnibus præferre. Magnum revera mysterium, et ineffabilem quandam sapientiam habens. S. CHRYS., h. XXI in ep. ad Eph.

Cognoscimus velut præulem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patitur alienum thorum pollui, et si quis fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cœlestis amittit consortium. S. AMB., lib. I de Abrah., c. VII.

INDISSOLUBILITAS.—Matrimonii perpetuum indissolubileque nexum primus humani generis Parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dicit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. CONC. TR., s. XXIV.

Noli uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diftilcaris auctorem. Etenim si alienos, magis uxorios debes tolerare, et emendare mores. S. AMB., in c. XVI Luc.

Hoc custoditur in Christo et Ecclesia, ut vivens cum vivente in æternum nullo divortio separetur. Cujus Sacramenti tanta observatio est in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus, hoc est, in Ecclesia Christi quod fidelibus conjugatis, qui sine dubio sunt membra Christi, ut, cum filiorum procreandorum causa vel nubant feminae, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur. S. AUG., lib. I de Nupt., c. X.

INCOMMODA.—Non tantum boni est in nuptiis, quod speramus, quantum mali, quod accidere potest, et timendum est. Libido transacta semper reliquit sui penitentiam, nunquam satiatur; extincta reaccenditur, usu crescit, et deficit, nec rationi pareat, quæ impetu ducitur. S. IER., ad Geront.

Pulchra cito amatur, fœda facile concupiscit; difficile custoditur, quod plures

amant: molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minori tamen miseria deformis habetur, quam formosa servatur. IDEM, contra Jovin.

Nihil est quod virilem animum ita ab arce virtutis dejiciat, atque complexus ille, sine quo uxor haberi non potest. S. AUG., ap. Gran., l. 729.

Longe plures videas lapsos ex conjugatorum, quam monachorum ordine: neque enim tam multi ex monasteriis ad matrimonia accedunt, quam ex conjugali thoro ad scorta. S. CHRYS., l. III, contr. Vitu. non. vit.

Uxorem pauperem alere difficile est, divitem ferre tormentum est. Quid prodest diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat; infida enim custos castitatis, est necessitas, et illa vero pudica dicenda est, cui licet peccare sed non licet. IERON., contr. Jovin.

Uxoris lingua, non mariti ira sibi conciliat malum. AUG., l. IX Conf., c. IX.

Mulieris insolentia viro est opprobrium. ANS., sub Ep. ad Cor.

EXEMPLA CHRISTIANA.

QUALITAS.—Tobias junior inito cum Sara Matrimonio dixit ad Deum: Domine, tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. TOB. IX, 9.

Sara Tobie uxore quoque ad Deum dixit: Tu scis, Domine, quia nunquam concupivi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulat, participem me præbui. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea, consensui suscipere. Ib. c. III, 15.

S. Cæcilia Valeriano desponsata, tribus ante nuptias diebus jejunabat, cilicium portabat, et orationi continuo vacabat, negotium hoc Deo commendans. MARC., tr. VIII Candel. lect. IV.

Cum quidam mercator naufragium passus esset, ideoque ob honorum omnium jacturam carceri a creditoribus inclusus esset, dives quidam ad ipsum in carcerem ingressus, specie uxoris tunc forte presentis captus, jussit eam ad se adduci, et satisfac-

tionem pro viro spopondit, si in nefarium scelus consentiret. Verum illa respondit: Domine, intellexi Apostolum dicere: Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir. Cum ergo regressa ad maritum narrasset, quid dives pelisset, ille respondit: Vade soror, dic ei, nos spem figere in Jesum, qui suos non deserit, mortalemque nos potius optere paratos, quam eum offendere. Dum ergo illa renunciat responsum, deditque ad maritum latro pariter carcere detentus qui verba hæc audierat, eos ad se vocat, aitque: Ego scio, me ad mortem damnatum, audiens pudicum vestrum consilium compunctus sum: ite ergo ad talem locum, et fodite, nam pecuniam reperietis, qua creditoribus vestris satisfacere possitis, et orate pro me, ut misericordiam inveniam. Post paucos ergo dies latro affectus supplicio est, uxor vero ad nominatum locum pergens, fodiens pecuniam reperit, eaque paulatim creditoribus satisfacit, ut crederetur, illam mutuo accepisse. SOPHON., in *Prato spir.* cap. CLXXXIX.

S. Gorgonia B. Gregorii Nazianzeni soror adeo fætabatur se unam esse cum marito, ut propterea ex parte tantum baptismam se putaret, quod maritus non esset baptizatus, ideo continuis precibus a Deo pelivit, ut sui spiritus eum efficeret participem per baptismum, quod et impetrare meruit. S. GRÆG. NAZ., in *or. de S. Gorgon.*

S. Monica mirantibus aliis uxoribus, quomodo ipsa cum marito infideli tam rigido et feroce adeo pacifice vivere posset, respondit: Meæ sorores, vos forte maritos ad rixas impellit morositate ac contumacia vestra, ego marito sævientem taceo, et dissimulo sicut iracundiam ejus frango: quin animum ejus sic inflexi, ut mecum Christum colere cõperit: ita ergo et vos agite cum maritis, si simili concordia ac pace frui vultis. S. AUG. I. IX *Conf.*, c. IX.

S. Elisabeth filia Petri Regis Aragonia, cum Dionysio Rege Portugallia luxuria detestissimo, tanta cum prudentia et sanctitate conversata est, ut omnes in admirationem raperet, qui maritum noverant. Hoc solum ipsam angebat, quod Deus toties offenderetur. Unde continuis precibus rogabat Deum ut lucem illi infunderet, qua e profunda et cæca abyso tandem emergeret. Uterius præcipiebat, ut omnes ejus illegitimi filii sibi adducerentur quos nutricibus tradebat, et commendabat, de omnibus pro-

videbat, nutricesque muneribus donabat. Hæc tanta charitate, patientia, prudentia sic mariti animum evicit, ut fidem conjugalem postea servavit. *Brev. Rom.* 4 jul.

Cum S. Macarii animum desiderium subiisset cognoscendi, ad quantam perfectionem pervenisset, hanc e celo vocem audivit: Nondum, o Macari, attingisti perfectionem duarum mulierum Alexandriae degentium. Abiens ergo Alexandria, cum reperisset duas illas mulieres, et quem vitæ modum tenerent, indagasset, post longas preces tandem ab iis exorsit, quod undecim annis in eadem domo summa cum pace cohabitasset, et sapiens enixe petierint, ut vitam cælibem agere per maritos liceret; id vero cum impetrare nequirent, Deo puritatem cordis obtulisse. Insuper summo semper studio invigilasse, ne verbo vel opere Deum offenderent. Hoc audiens vir sanctus exclamare cõpit: Vere in quocumque statu puritas cordis Deo placet, ita ut quandoque puritas conjugatorum puritatem virginum et monachorum excedat. *Vit. PP.* I. VI, § XVII.

Cum quidam filius patris ditissimi audivisset, sponsam sibi a patre ditissimam et pulcherrimam destinam esse, detestans hoc consilium fuga elapsus est. In qua cum ad domum senis pauperis propter æstum divertisset, filiamque ejus unicam sedulo laborantem, Deumque assidue ob accepta beneficia laudantem vidisset, eam a patre in uxorem petiit. Quem cum senex in multis tentasset, ipseque constanter assereret, malle se cum filia ejus tam devota pauperem vitam degere, quam cum divite optata sponsa inter delicias vivere, tandem optatis nuptiis potius, a sene in cubiculum introductus est ubi ingentes ei divitias ostendens, harum omnium ipsum se hæredem scribere dixit, eo quod sprete sponsa divite, pietatem potius in filia sua, quam alias dolens respexisset. S. DAMAS. in *vita Barlaam et Jos.*, c. CVI.

Non longe ad urbe Suesionensi degebat vir nobilis militiæ deditus, nomine Guido, cujusque uxor Ermegardis pietatis cultrix. Hi filiam genuerunt vultu decoram, quæ cum ad nubes pertigisset annos, ab illis militi cuidam natalibus non impari fuerat desponsata. At illa ut se habet puellaris lascivia, quemdam alium, rebus et genere inferiorem, plus diligens, recusabat sponsum a parentibus delectum, crebro jurans, quod seipsam interficeret, nisi cupitis am-

plexibus potiretur. Ea incommoditate parentes effecti virum Dei Arnulphum Suesionensem Episcopum consulunt, scire cupientes, quid in ea afflictione ipsis faciendum foret. Ille auditis illorum quærimoniis opportunum quidem et plane divinum eis responsum dedit. Canonum inquit, auctoritate cavetur, ne puella, cui non vult, jungatur, ideoque præcipio vobis, ut puellam ei, quem amat, collocetis matrimonio; ut enim ob vestræ religionis meritum nobis ostensum est, paulo post videbitis eam illum sponsum ardentem expetere cujus a se conjugium tam studiosè jam conatur amovere. Permittitis filiæ vestræ sua hæc in re uti voluntate; et ita fiet, ut res ad vestram cedat honestatem. Credunt illi verbis Sancti viri, nuptias optatas honesto apparatu celebrant, sinuntque filiam dilecti viri frui contubernio. Ille vero, cum in id valde esset intentus, ut posset miles celebris haberi, nunquam voluit abesse, ubi fieret congressus cum hoste, et dum avidius fert in arma ab armatis perimitur: et sic sponsa manens vidua mox priori conjungitur. Jo. LAT. in *vita Arnulph. Episc.* c. XV, apud SUR. 3 Aug.

In vita S. Basili Magni habetur quod Protetii Senatoris filia, ab ejus servo per Magum decepta, et insano amore correpta instanter rogat, ut possit jungi matrimonio cum illo, qui si consentire noluerit, pro ea redditurus esset rationem in die judicii. At comple desiderium, inquit, aut brevi me extinctam videbis. Pater qui filiam hanc Deo consecrasset, immenso mœrore absorptus, amicorum consiliis, jussit fieri quod petebat, ne sibi ipsi exitium afferret. Cui pater, vade, inquit, misera, multum lugebis aliquando, cum facti penitebit, nec tamen mederi poteris. Inito igitur conjugio observatum est servum non ingredi Ecclesiam, nec esse Christianum. Quod ubi intellexit puella, humi se prosternit, suis se unguibus discipit, pectus tundit vociferans: Nemo parentibus non obediens, salvus unquam fuit. Quis patri annunciabit ignominiam meam? Heu me miseram, in quantum me perditionis voraginem demersi! Cur in lucem edita sum, cur non continuo rapta sum? AMPL. EPISC. in *Vita S. Basili.*

Suæno Danorum Rex cognomento Magnus cum pro libitu suo tria regna teneret, mox succedentibus prosperis, oblitus est Regis celestis, et consanguineam a Suedia duxit

uxorem, quod domino Archiepiscopo Hamburgensi Adalberto valde displicuit, furentem Regem missis ad eum Legatis, de scelere terribiliter increpavit: postremo nisi respiceret, excommunicationis gladio feriendum esse. Tunc ille conversus in furorem minabatur omnem parochiam Hamburgensem vastare et excindere. Ad quas minas imperterritus noster Archiepiscopus, arguens et obsecratus perstitit immobilis, donec tandem flexus tyrannus Danorum per litteras Papæ libellum repudiæ dedit consobrina. Nec tamen Rex Sacerdotum admonitionibus aurem præbuit, sed mox ut consobrinam a se dimisit, alias itemque uxores et consobrinas assumpsit: et suscitavit ei Dominus inimicos in circuitu multos, sicut Salomonis fecit proprios servos. BAR., t. XI *Annal. an.* 1050.

EXEMPLA PROFANA.

Theogena uxor Agathoclis Regis Sicilia ab agro marito nunquam divelli se passa est, dicere solita: Nunbendo non solum prosperæ fortunæ, sed et adversæ societatem inivi, quare nec invita spiritus mei periculo emptura sum, ut viri spiritus extremos percipiam. SABELL., I. II *Enn.* IV.

Artemisia Mausoli Caria Regis conjux, tanto amore maritum prosequebatur, ut ad ejus funus viros eloquentissimos convocaret, qui laudes ejus decantarent. Sepulchrum deinde tam splendidum ei edificari jussit, ut inter septem orbis miracula fuerit numeratum. Nec his contenta officia, etiam ossa in cineres reducta vino miscuit elibitque, ut sic quodammodo cum vita redderet. VAL. MAX., I. IV c. VI.

Panthea uxor Abradate Regis Susorum audiens maritum suum in prælio occubuisse in mediam aciem irruit, et maritum suum amplexata, ferrum cordi infixit, sicutque simul cum eodem obit. XENOP., I. VI.

Thales roganti matri, ut Matrimonium iniret, nondum esse tempus dixit: deinde major natu iterum admonitus, non amplius esse tempus affirmavit. Idem rogatus, cur in vigore ætatis liberos non procreasset, respondit: Quia nolui sponte negotium vite facessere, et ejus tranquillitatem turbare. PLUR., ap. Lang. in *Pol. Slob. ser.* LXXVI.

M. Cato Censurius uxorem nobiliorem, quam opulentiorum duxit, existimans utras-

que æque esse elatas et superstitiosas, verum turpitudinis robore obsequentiores viris ad honesta generosas esse. PLUT. in *Lacon*.

Indorum virgines, cum nubiles esso cœperint, in publicum a parentibus producuntur. Accurrente, ut assolet, multitudine, libera illis datur optio, e juvenum turba virum sibi seligendi, quem virtute aliqua insigniter præstantem putent. CÆLIUS, l. VIII, c. XXXI.

Valeria a quodam rogata, quam ob rem defuncto marito nulli posthac nubere vellet? Ideo, inquit, quia Servius meus, licet aliis defunctus sit, apud me vivit, vivetque semper. ERASM., l. VIII, *Apopht.*

Portia, cum diutius lugeret maritum quaesita quem habitura esset luctus ultimum diem, respondit: Quem et vitæ. IDEM.

Antisthenes adolescentem quærenti, qualem uxorem ducere deberet respondit: Si formosam duxeris, habebis communem; si deformem copulaveris, habebis penam. Talis ergo ducenda uxor est, quæ nec fastidium viro moveat ob deformitatem, nec ob insignem formam petatur ab adulteris. LAERT., l. VI, c. 1.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut corpus nihil potest absque animo, nec animus sine corpore; sic inter uxorem et maritum omnia oportet esse communia. PLUT., in *Mor.*

Sicut ferrum non cum argento et auro, sed cum alio ferro coheret, et se commiscet; sic non bene vilis cum nobili, dives cum paupere conjux concordat. MATTH., tr. VIII, *Cand. myst.*, lect. III.

Sicut, cum navis est magna, et gubernaculum parvum, aut vicissim, navis bene dirigi non potest; ita nec maritus bene dirigere potest uxorem, si nimia sit inter utrumque disparitas. IDEM.

Sicut pharmaco utimur tamdiu, quamdiu morbus, aut necessitas durat; ita Matrimonialis actio tamdiu solum suscipienda est, quamdiu finis Matrimonii, scilicet generatio prolis, et concupiscentiæ remedium adest. FAB., conc. 4, in *Dom. 2 post Epiph.*, n. 4.

Sicut vinum non debet bibi propter voluptatem, sed propter naturæ sustentationem et corroborationem; ita nec cohabitatio

conjugalis propter voluptatem, sed propter generationem prolis suscipienda est. IDEM.

Sicut quis non tantum ex alieno, sed etiam suo vino inebriari potest, si illud immodice bibat: ita non cum aliena dumtaxat, sed etiam propria uxore continentia limites excedi possunt. IDEM., conc. II, n. 6.

INSOLUBILITAS. — Sicut si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi congregatio plebis non sequatur, manet tamen in ordinatis Sacramentum ordinatio; et si ex aliqua culpa quis removeatur ab officio, Sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium permanente; ita licet conjuges a se quoad thorum separentur, aut prolem suscipere non possint, vinculum tamen adhuc manebit. S. AUG., de *Bono conf.*, c. XXXIV.

Sicut duobus, pluribusve servire; sic a viro vivo in alterius transire connubium nec tunc licuit, nec nunc licet, nec unquam licebit. IDEM., c. XVIII.

DIGNITAS. — Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro, qui passus est, et in Joanne, qui passus non est, ita non est impar meritum continentiæ in Joanne, qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham, qui filios generavit. IDEM.

INCOMMODA. — Sicut sæpe rectum, mundumque iter pergitur, et tamen ortus juxta viam vepribus per vestimenta retinemur; sic licet bonum sit conjugium, mala tamen sunt, quæ circa illud ex hujus mundi cura succrescunt. Dum ergo retinetur, quod non nocet, ex rebus juxta positis committitur plerumque, quod nocet. S. GREG.

Sicut facilius est rustico carere divitiis, quam iis inopinato repertis, aut oblati, moderate uti; ita multi facilius omnino abstinent nuptiis, quam ut iis temperate et bene utantur. S. FRANC. SALES., ap. *Engelr.*, *Dom. 2 post Ep.*

MOTIVA.

Ad Matrimonium ineundum.

Honor et gloria Dei, qui non modice glorificatur, si parentes liberos multos generent, eosque sic educunt, ut tandem æternæ gloriæ facti participes, eundem Deum in omnem æternitatem perfectissime laudent, et ament. Quis enim non magnopere sibi gratularetur, si multa templa extruxisset

suis sumptibus, in quibus Deus die, nocturne devotissime laudaretur? atqui gratiora sunt templa homines Deum in cœlo laudantes.

Augmentum Reipublicæ, tam Ecclesiasticæ, quam civilis, quod sane totum pendet a generatione, et educatione liberorum; quia quales erunt liberi, tales erunt olim et Ecclesiæ Ministri, et Magistratus politici, ac cives.

Felicitas liberorum: cum enim hi, si pie et christiane educantur, ad regnum cœlorum admittantur, quod præstantius est, quam omnia regna mundi, an non ingentem felicitatem liberis suis procurasse dicentur parentes, si cooperantur ut hujus regni fiant participes eorum liberi?

Solutio parentum: quod non potest non esse maximum, si meminerint, hos ipsos, quos modo genuerunt, et pie educant liberos, fore olim regni cœlestis hæredes, idque actu quondam in cœlis sint visuri. Hinc Salomon ait: Filius sapiens lætificat patrem.

Confusio dæmonis: quem cum merito summe odisse debeant parentes, ob perpetuas insidias ipsorum, et liberorum saluti structas, non possunt hoc odium magis erga ipsum declarare, quam si et se, et liberos suos ipsius eripiant potestati, atque in filiorum Dei libertatem afferant.

MEDIA.

Ad Matrimonium fauste contrahendum.

Sincerus Dei cultus: quia, ut sapienter notavit Philo, solius Dei cultus, est amoris et benevolentiae vinculum insolubile; id quod ex ipsorum etiam Philosophorum axiomate colligitur, quo dicunt: Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. PHILO., de *Mon.*

Oratio humilis: tum quia, teste Salomone, domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens: tum qui, cum tribulationem carnis, prædicente Apostolo, sint habituri, oportet ad has superandas Deo humiliter subjici, ejusque opem assidue implorare. PROV. X, 14.

Veneratio Sanctorum: eorum præcipuæ, qui aliquando matrimonio juncti cum magna sanctitate et concordia vixerunt, uti præ aliis sunt B. Virgo, et S. Josephus; ab

horum enim veneratione duplex emolumentum habebunt conjuges, nempe *patrocinium petens*, quod tanto promptius exhibebunt quanto magis ipsimet onera, et difficultates Matrimonii sunt experti; et *exemplar perfectum*: vitæ secundum leges sancti Matrimonii instituendæ.

Concordia animorum: sicut enim si duo boves eidem jugo alligati unanimes sint, leviori sibi labore trahendi oneris efficiunt; si vero consentire nolint, inutiliter ac frustra se fatigant, et gravius sentire onus coguntur; ita se res cum conjugibus eidem jugo Matrimonii alligatis habet.

Curiolitas devotio: illius præcipue, quæ ex zelotypiæ spiritu alterius conjugis mores et acta curiosius, quam par est, observantur. Quod medium Alphonsus Rex Aragonum indicavit, dum dixit: Tunc felix et tranquillum fore Matrimonium, si vir surdus, et uxor cæca fuerint.

Patientia in multis defectibus supportandis: juxta monitum S. Pauli dicentis: Alter alius onera portate. Deinde proinde conjugati duobus illis anseribus similes esse, qui a nativitate sic erant dorso colligati, ut, si unus ambularet, alter erectis ad cœlum pedibus portaretur, qui altero defatigato, et ipse pedibus insistere, alterumque portare debebat.

Castitas ante Matrimonium servata: quod medium Sanctus Augustinus sequentibus verbis præscripsit: Si ducturi estis uxores, quales vultis eas invenire, tales et ipsæ inveniant vos. Quis est, qui non castam velit ducere? intactam quæris? intactus esto; puram? purus esto; non enim illa potest, et tu non potes. S. AUG., s. de *verb. Dom.*

ASCETICA.

Quinque sunt præcipua capita, quæ asceta de Matrimonio bene cognoscere, ac ubi occasio dabit, observare debet. Primum est, ut bene cognoscat finem matrimonii, quem quidem Canisius ex SS. Patribus his verbis assignat: Cujus conjunctionis conjugalis si primarium Auctorem quæris, Deus est optimus maximus; qui primos conjuges et humani generis Parentes in ipso Paradiso conjunxit suaque benedictione coonestavit. Sin finem institutionis spectas, est humani generis ad Dei gloriam propagatio, et conjugum inter se familiaris, fidusque convic-

vix ac præterea fornicationis in hac natura corruptæ imbecillitate devitatio. CANIS. p. II de Mat. § 2.

Alterum est, ut bene cognoscat triplex bonum Matrimonii, quod ex dicto sine con-surgit, de quo Concilium Florentinum sic loquitur? Assignatur triplex bonum Matrimonii: Primum, proles suscipienda ad cultum Dei, et educanda. Secundus est fides, quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium, indivisibilitas Matrimonii propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi et Ecclesiæ. COXC. FLOR. ap. CANIS I., VI, § 2.

Tertium est ut cognoscat bene impedimenta tum dirimentia tum impediencia contractum, quæ quidem passim apud Casuistas et Summulistas reperiuntur; id interea fluxum, ratumque habeat, ejusmodi impedimenta gravissimas ob causas ab Ecclesia constitutas atque adeo diligenter observanda esse, uti clare indicat Concilium Trid. dum ait: Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis aut affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit. SESS. XXIV, c. III.

Quantum est, ut solidum ac utilem cognoscat modum contrahendi Matrimonium, juxta quem alios instituat, qui quidem in eo fere consistit, ut in Christo, cum Christo, et propter Christum Matrimonium suscipiatur. 1. in Christo tunc suscipitur, quando doctrina S. Pauli observatur, qua dixit: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam. Et: Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Christo. 2. Cum Christo contrahitur Matrimonium, si diligenter prius invocetur in electione, usurpando illa verba Apostolorum: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem (aut quam) elegeris. Dein si in ipsa contractione prius SS. Eucharistia sumatur. Et tandem si ante consummationem pariter exemplo Tobie junioris invocetur. 3. Propter Christum suscipitur Matrimonium si vocatio ad illud diligenter inquiretur, et ideo status hic assumatur, quia Deo ad eundem nos vocare placuit.

Quintum est, ut noverit potiores tentationes conjugii, modumque aptum eisdem occurrendi. Quales fere sunt, 1. Asperitas aut morositas alterius conjugis; contra quam

vix aliud efficacius est medium, quam patientia et mansuetudo; nam responsio mollis multo magis omnimoda taciturnitas et dissimulatio frangit iram. 2. Liberum aut famulorum more discolori; qui et ipsi mansueta potius quam aspera correctione sanandi, et ubi conatus nihil profecerit cum patientia supportandi, justitiæque divinæ suo tempore castigaturæ relinquendi sunt. 3. Sollicitudo pro rebus ad se, familiarumque sustinendam necessariis: contra quam optimum est medium, ut quarant sollicite prius regnum Dei, et justitiam ejus, magnamque de Dei bonitate et fidelitate fiduciam concipiant. 4. Detestatio sui status, utpote impedimenta ad bene pietate vivendum obijcientis, quibus optime occurret illud Sancti Chrysostomi in memoriam revocando: Audiant viri et mulieres, et discant justi virtutem: nec putent nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat, nam ideo divina Scriptura semel et iterum id significavit, dicens: Genuit Mathusalem, et tunc placuit, ac repetit dicens, et postquam placuit, genuit, ne quis arbitraretur, obstaculum virtutis esse conjugium. S. CHRYS., hom. XXI in Gen. Et iterum alibi: Adjutrix tibi data est, non insidiatrix. An non habebat uxorem Propheta? neque tamen spiritui gratiæ obstat conjugium. Moyses nonne uxorem habuit? et tamen is petram dirupit, aerem immutavit, cum Deo loquebatur, iram divinam cohibuit. Abraham nonne habebat uxorem? et tamen Pater factus est Gentium et Ecclesiæ. Denum omnes Prophetae et uxores habebant, et domos, et inde nihil ad virtutem ledebantur. Ioh., hom. IV in Is.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis: « Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia. » EPH. I. ex. Potest ostendi præstantia hujus Sacramenti, et quam vere magnum dicatur 1. ab Institutore, qui est ipse Deus, et Christus. 2. Significatione: quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. 3. Duratione: quia durat ejus vinculum usque ad vitæ finem. 3. Obligatione: tum ad debitum reddendum: tum ad cohabitandum, mutuumque auxilium ferendum: tum ad liberos alendos et educandos. 5. Fructificatione: tum ob collationem gratiæ habitua-

lis et Sacramentalis: tum ob fructum multiplicem ex bona educatione liberorum in Deum, Ecclesiam, Rempublicam, et liberos ipsos redundantem. Unde merito magna etiam consideratio, præparatione, ac devotione suscipiendum est.

Ex occasione thematis: « Faciamus ad ei adjutorium simile sibi. » GEN. II, 18. Possunt explicari officia conjugum. Et 1. dici, quod illo verbo simile explicetur, quid maritus erga uxorem observare debeat, nempe quod simile habere debeat in victu, vestitu, et aliis necessariis: in honore, juxta illud S. Petri III, 7: « Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impertientes honorem, tamquam et cohereditibus gratiæ vitæ, hinc etiam ex latere Adami creata est »; et in supportatione; nam cum inter omnes amicos culpæ facile condonari soleant, multo magis id fieri convenit inter conjuges, inter quos, uti summa conjunctio, ita summa quoque amicitia intercedere debet. 2. Dici potest uxoris officium per verbum adjutorium explicari; hoc enim indicatur, eam marito strenue cooperari debere in generandis, educandis, et alendis liberis, et tamquam principali agenti omnem reverentiam, obedientiam, et amorem (per hunc enim maxime conjungitur) exhibere debere. Quæ omnia facile fusius explicari possunt, maxime si legatur conc. 3 et 4 Mathiæ Fabri in Dom. 2 post Epiph. ubi omnia hæc et plura alia officia late deducit.

Ex occasione thematis: « Hoc fecit initium signorum Jesus »: vel: « Erant autem ibi lapidæ hydræ sex positæ. » Jo. II, 11. Potest dici tunc quidem Christum prima vice fecisse hoc miraculum, sed modo frequenter id renovare, dum sex hydras tribulationum, quæ in statu matrimoniali reperiuntur, in vinum lætitiæ convertit. Enumerentur ergo singulæ hæc tribulationes per ordinem, nempe orbitas, liberi immorigeri, paupertas vel certe sollicitudo de filiis et domesticis alendis, defectus mutui, afflictiones consortis, separatio in morte; et de singulis ostendatur, quomodo Christus per suam gratiam leves faciat, sicut in vinum quasi convertat. Qua de materia videri potest Faber conc. 2 in Dom. 2 post Epiph. et P. Forerus in I p. vitæ Christi de hoc Evang.

Ex occasione thematis: « Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum

magis, quam libidine ductus, ut in semine Abraham benedictionem in filiis consequaris » TOR. VI, 22. potest multiplex benedictio explicari, quam conjuges ex matrimonio legitime et pie suscepto sperare possunt. Quem in finem servare potest totus Psalmus 127: Beati omnes, qui timent Dominum, etc. In illo enim pulchre triplex benedictio indicatur, nempe 1. in temporibus bonis: per illa verba: Labores manuum tuarum quia manducabis. 2. In uxoris fertilitate: uti illa verba indicant: Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 3. In filiorum educatione: quæ innitit per versum: Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Quæ omnia fusius explicata videri possunt apud Marchantium tract. 8. Cand. Myst. lect. v, prop. 3.

Ex occasione thematis: « Cognosce ejus sit annulus » GEN. XXXVIII, 21; potest amor conjugalitatis explicari, quem sibi conjuges mutuo debent. Dicatur ergo annulum, quem sponsus sponsæ offerre debet, et ipse concionator nunc porrigit, aureum esse, et loco gemmæ effigiem sponsi inclusam habere, ut omnes amori conjugalitatis partes explicentur. Nam 1. sicut aurum omnibus aliis metallis præcellit; ita conjuges se in amore et æstimatione omnibus præferre debent. 2. Sicut aurum per ignem probatur, et purius efficitur; ita amor conjugalitatis per tribulationes cognoscitur, et perfectior redditur. 3. Sicut annulus rotundus est, et finem non habet; ita amor conjugalitatis durare debet usque ad mortem. 4. Sicut in annulo effigies, præ aliis partibus annuli, utpote supra conspicitur; ita conjuges sibi semper in oculis versari debent, illudque Abimelech dictum sibi applicare: Quocumque perrexeris, memento te deprehensam. Videatur pluribus de annulo nuptiali discurrens Faber exhort. nupt. 26.

Ex occasione thematis: « Tollite jugum meum super vos » MATTH. II. Narrari potest ex Tacito, olim apud antiquos Germanos morem fuisse, ut novis nuptis par bonum offerretur, quo significare volebant, perinde ut bobus suum jugum, ita conjugibus jugum Matrimonii esse portandum. Et 1. quidem conandum, ut pares sint; alioqui enim debiliori totum onus incumbet. Hinc et Deus olim præcepit: Non arabis in bove simul et asino. DEUT. XII, 10. 2. Ut sint arctissime juncti jugo, sicut boves, de quibus Plinius ait: « Araturos boves quam arctissime jungi

oportet, ut capitibus sublatis aren't: sic enim minus colla contundunt. *PLIN. l. xviii, c. 19.* Hoc autem in conjugibus per amoris efficiunt vinculum. 3. Ut simul pergant, et onus trahant; hoc enim, teste S. Chrysostomo, vere est conjugium, quoniam non solum in prosperitate, sed in periculis simul obambulant. *CARYS. hom. xii.* Hoc germanæ charitatis indicium est. Hoc signo certissime internoscitur amicitia. Non sic diadema in capite positum Regem præclarum ornat, quam obedientia illa, quæ concilio justis loquitur autem de Sara Abraham uxore) beatam, et illustrem et claram demonstravit. *GAL. vi, 2.* Ut in casu alter alteri cedat, et condescendat, sicut boves uno procumbente se inclinant, et cum ipso occubant; ita enim S. Paulus monet dicens: Alter alterius onera portate. Quod si autem invicem onera ferenda sunt, multo magis uxoris, ut recte argumentatur S. Chrysostomus. *S. CHRYS., h. vi.* Videatur Faber exhort. 10 nup. pluribus de hac materia discurrens.

Ex occasione thematis: « Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias » *COR. JOAN. ii, 2.* Dici potest, ideo Christum voluisse nuptiis his interesse, ut simul, quam honorabilis essent, ostenderet, et qua ratione sancte celebrari deberent, doceret, nempe, ipso præsentem et adjuvante, et impellente; quod clarius postea S. Paulus expressit, dum dixit: Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si obdormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, « tantum in Domino. » *I. COR. vii, 39.* Ostendatur ergo, quid sit in Domino nubere, nempe 1. *Cum bonâ intentione*: spectando solum Dei gloriam, et propriam ac proli salutem, non ad opes aut voluptates respiciendo; ob hoc enim Deus ex dormientis Adæ latere Evam creavit, ut non ad speciem ejus aut aliud respiceret Adam. Hinc et S. Basilii: quid est, ait, in Domino nubere? Non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad coitum protrahi, sed judicio et commodioris vitæ ratione nuptias eligere. *S. BASIL. hom. xix, 2.* *In gratia*: quo sensu dicitur in Apocalypsi: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *APOC. xiv, 13.* Hinc a Concilio Tridentino jubentur conjuges saltem triduo ante consummationem sua peccata confiteri, et S. Eucharistiam sumere. 3. *In eadem fide*: Catholica scilicet; id enim, ut S. Ambrosius et alii Patres testantur, et Paulus ad litteram per illa verba in Domino,

expetiit; quomodo enim potest congruere fides, si charitas discrepet? inquit recte Sanctus Ambrosius. *S. AMB. l. X de Abr. Hinc et Plutarchus ait: Cum sit primus et maximus Deus, quem vir censet esse colendum, solum eum agnoscere uxorem decet: curiosæ religiones et peregrinæ superstitiones a vestibulo domus arcendæ sunt. 4. Cum adjutorio Dei*: quo maxime indigent, tum ad onera Matrimonii sustinenda, tum ad liberos generandos. Unde Deus vivente Sara aliquoties apparuit Abrahamo, eumque solatus est, non autem ea mortua, quia tunc robore illo non amplius indigebat, uti Rupertus discurret. Vide Fabrum exhort. 7 nuptiali hæc omnia fusius explicantem.

Ex occasione thematis: « Nunquid est cor tuum rectum sicut cor meum cum corde tuo? » *IV REG. x, 15.* Potest necessitas et utilitas concordia conjugalitatis ostendi, simulque media ad eandem obtinendam proponi. 1. Ergo ostendatur, quid sit concordia conjugalitatis, scilicet ut idem velint et nolint. 2. Ostendatur, quam necessaria sit hæc concordia, ex eo, quod de domo aque dici queat, ac de regno, quod Christus dixit: « Omne regnum in se divisum desolabitur; » certe discordia conjugio cum veritate convenit illa Osæe sententia: Divisum est cor eorum, nunc interibunt: ad instar Thyraei lapidis, qui, cum integer est, natat: mergitur vero, cum divisus est. 3. Utilitas quoque concordia: ex communi proverbio demonstratur, quo dicitur: concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur; et merito, cum enim Deo singulariter placeat, teste Siracide, si vir et mulier sint bene consentientes, recte colligitur, quod illis etiam suam benedictionem large sit impertiturus. 4. Denique unum alterumve medium offeratur ad hanc concordiam obtinendam, qualia sunt si maritus honestis petitionibus uxoris facile annuat, et uxor dispositionibus mariti facile cedat: si bona inter se communia habeant, et *meum ac tuum*, quæ omnis discordia radix sunt penitus eliminant. Quæ omnia breviter complexus est Sanctus Chrysostomus, dum dixit: Præcipuum illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit, nam ubi hoc sit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim, cum caput corpori connexum, conjunctumque sit, ulla ibi seditio, ulla dissensio possit exoriri? necessario profecto omnia reliqua in pace

sunt, Principibus namque pacatis, qui jam pacem dividere possit ac discindere? Quæmadmodum e contra his invicem dissentientibus nihil salubre esse poterit, totaque nubit familia. Videatur Fab. exhort. 46 et 17 nuptiali. *S. CHR. hom. iv, in II ad Tü.*

Ex occasione thematis: « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam » *EPH. v, 25.* Potest ostendi, quomodo maritus ad imitationem Christi uxorem suam diligere debeat, scilicet sicut Christus dilexit Ecclesiam, ita ut 1. Sicut Christus dilexit Ecclesiam qua verbis, qua exemplis exhibuit sibi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut esset sancta et immaculata; ita et ipse verbis et exemplis ad morum vitæque integritatem excitare laboret. 2. Ut sicut Christus Ecclesiam tam fortiter protegit, ut etiam portæ inferi prævalere adversus eam non possint; ita et ipse uxorem ab omnibus adversitatibus pro viribus protegat. 3. Ut sicut Christus seipsum tradidit pro Ecclesia; ita et ipse se vitamque suam pro salute conjugis exponere non cesset. 4. Sicut Christus nutrit et fovet Ecclesiam; ita et hoc respectu Ecclesie faciat. E contrario vero et uxor Ecclesiam imitetur; et sicut hæc reveretur, diligit, et subjecta est Christo in omnibus, ita et ipsa hæc tria respectu mariti observet. Quæ de re videatur Fab. exhort. 9 nuptiali.

Ex occasione thematis: « dotavit me Dominus dote bona » *GEN. xxx, 20.* Potest ostendi, quæ sit optima dos conjugum, videlicet virtus, et quidem ob tres causas. 1. Quia hæc dos est præstantior omni auro, argento, et gemmis; solæ enim veræ opes sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt, teste S. Bernardo. 2. Quia dos hæc est utilissima marito et uxori; cum pietas et virtus sit ad omnia utilis, et omnia necessaria adjiciantur regnum Dei et justitiam ejus, id est, virtutem quærentibus. 3. Quia dos hæc non potest auferri, nisi sponte quis illam velit abjicere, aut dimittere. In quorum confirmationem narrari potest historia supra recensita de filio sponsam divitem fugiente, et virtuosam filiam hominis pauperis eligente, cum qua innumera ei divitiæ obvenérunt.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Marci Catonis filia quæsita, cur post amissum virum non denuo nubere?

ret? respondit, se non invenire virum, qui se magis vellet, quam sua. *HUGO DE S. VICT. in l. ad Soc.*

Metellus Mario, cujus filiam dote felicem, forma nobilem, genere claram, fama celebrem ducere noluit, respondit: Malo esse meus, quam suus. Cumque Marius repone-ret: Imo ipsa tua erit; dixit iterum Metellus: Imo virum oportet uxoris esse; logicum enim est, talia esse prædicata, qualia subjecta esse permiserint. *VAL. MAX., in ep. ad Rufin.*

Lycurgus, cum certum tempus præscripsisset, quo puellæ nubere, juvenes ducere deberent, interrogatus, cur id statuisset? respondit: ut soboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida et vegeta sit; nam coitu præproprio non solum læduntur corpora ingentium, verum etiam proles nascitur imbecilla. *PLUT. in Læcon.*

Alphonsus Rex Aragonum dicere solebat, tunc Matrimonium tranquille exigi posse, si maritus surdus, uxor cæca fiat, immens, feminas zelotypiæ obnoxias esse, et maritis uxorum garrulitatem molestam esse, qua molestia carebunt, si surdi fiant: sicut et uxores vitio zelotypiæ, si cæcæ efficiantur. *ERASMUS, l. VIII, Ap.*

Quidam, cui cum multe Virgines opulentæ in uxorem offerrentur, uxorem sine dote elegit dicens: ne dotis freno constrictus uxori meæ nupsisse videar, et contra Apostoli doctrina viri caput mulier efficiatur, malo dote omnino carere. *BERYL., in Apoph. Christ.*

Novi conjuges in regno Mogor instante nuptiarum die prius sepulchra obeunt, et reserata sedulo contemplantur, quo nimirum vitæ suæ finem expendant, antequam liberis creandis initium dent. *HIER. XA., in lit. an. 1598.*

S. Martinus, cum aliquando pratrum transisset, cujus partem depaverant boves, partem porci suffoderant, partem denique illasam, floribusque vernantem deliquerant; ad sublimiora erigens animum, dicebat a prima parte conjuges, a secunda fornicarios, a tertia virgines denotari, ut quæ præ reliquis illibatam castitatis florem retineant. *SULETT. in Vit. Dial.*

Uxor Phocionis civis Atheniensis cum aliæ mulieres ei mundum muliebrem ostenderent, dixit ad eas: Mibi vero mundum muliebri est Phocion. *PLUT., in Vit. Phoc.*

Non male Xystus Philosophus dixit: Adulter est in suam uxorem, omnis impudicus amator ardentior. FAB., *exh.* 72 *nupt.*

Apud Sacas si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit: et si illa superior sit, captivum abducit, atque imperium in illum obtinet; sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria. AELIAN., l. XII, c. XXXVIII.

INSOLUBILITAS. — Olim apud Romanos, cum sponsa domum ducebat, non licebat illi transcendere limen domus, sed sublata e pronubis portabatur, ut intelligeret, se a sponsi thoro, nisi mortuam separatam non iri. PLUT., in *qq. Rom. q. XIX.*

Apud eosdem sponsæ ignis et aqua præferebatur, ut meminisset, se adherere marito debere, etsi solum igne et aqua frui liceret. *ib. q. I.*

INCOMMODA. — Theodectes dicere solebat, senectutem et nuptias similes esse, eo quod utramque consequi desideremus: postquam vero consecuti sumus, tristemur. FAB., *cup. nupt. XIX.*

Phocœus Argivorum Rex eo die, quo decessit, Leontio fratri dixit: Nihil mihi defuisset ad felicitatem, etiamsi uxor defuisset. *ib. cub. XII.*

Romanus quidam nobilis reprehensus ab amicis, quod uxorem formosam, castam, et divitem repudiasset, pedem extendit, dixitque: Hic calceus videtur quidem vobis novus et elegans, sed nemo scit, ubi me premat, præter me. S. HIER., *contr. Jovin. c. XIX.*

Cum quidam Diogeni diceret cum gaudio se novam uxorem duxisse, dixit ille: Parvum solatium, et magnam sollicitudinem lucratus es. LANG., in *Pol.*

Recte dixit Petrarcha: Anceps uxoris electio: deformis facile fastiditur; formosa difficile custoditur, ea lege, qua inter formam corporis et animi castitatem lis perpetua est. PET., *Dial. 45.*

S. Hieronymus Virgines ob puritatis candorem, liliis, conjugatus ob tribulationem carnis, spinis simillimos esse dixit. S. HIER., *de Laud. Vir.*

Socrates ab adolescente quodam interrogatus, an uxorem ducendam suaderet, an vero cœlibem vitam ducendam? respondit, utrum eorum fecisset, acturum penitentiam. Hinc te solitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet, illine perpetua sollicitudo contextus puerula-

rum, dotis exprobratio, affinium supercilium grave, garrula socrus lingua, successor alieni matrimonii, incertus liberorum eventus. VAL. MAX., in *mem. diet.*

Hippocrates dicebat, duos dies cum uxore jucundos esse, illum scilicet, quo ducitur, et alterum, quo mortua effertur. STROB. s. LXII.

Jam olim dicebatur, eum, qui navem sibi comparat, et qui uxorem ducit, grande sibi negotium comparare, quia cum mulier nunquam sibi satis ornata videatur, perpetuum facessit marito negotium. TYMPITIUS, in *mensa Theol. de conjug.*, c. XIII, n. 29.

AXIOMATA.

Nec fœmina, nec panis ad candelam emendatus est.

Qui capit uxorem, item capit atque dolorem.

Qui capit uxorem, capit absque quiete laborem.

Quod Deus conjunxit, homo non separet. MATTH. XIX.

AUCTORES.

Mathias Faber in *Exhortat. nuptialibus*. Item, *Dom. 2 post Epiph.*, conc. I, II, III, IV, VIII.

Jacobus Marchantius in *Candelabro Mystico*, tract. VIII.

Ludovicus Granatensis in *Loc. comm.*, f. 726.

Joannes Busæus, de *Status hominum* lit. M. de *statu Matrim.*

Petrus Canisius, part. II de *Matrim. Sacramento*.

Henricus Engelg., in *Luce Evang.*, p. II, embl. VII.

Laurentius Beirlink, in *Theatro vit.*, hum. V. eodem.

Josephus Langius in *Polyanth.* V. eod. et V. *Conjugium*.

Antonius Dauroutius in *Cath. histor.*, c. V, tit. de *Matrimonio*.

MENDACIUM.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est voluntaria locutio contra mentem, seu, ut Sanctus Augustinus loquitur, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Unde aliqui discrimen faciunt, inter mentiri, et mendacium dicere; et *mentiri* quidem volunt idem esse, ac contra mentem dicere: *mendacium dicere* vero esse falsum dicere, sed quod verum esse credit. Hinc juxta Nigidium vir bonus præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat. S. AUG., l. de *Mend.*

S. Thomas etymologiam mendacii in hæc tradit verba: « Mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur; » cui non absimilis est descriptio illa, quam Albertus Magnus, Doctoris Angelici præceptor, his diu ante insinuaverat verbis: « Mentitur, hoc est, vadit contra mentem; » quæ ideo mentem dicitur a metiendo, quia res commenturari debet, et hoc non sit, et ideo mentitur, et fallit. S. vero Anselmus D. Augustini innixus auctoritati, mendacium ita definit: Augustinus dicit « esse mendacium, quando aliquid dicitur aliter quam animo sentitur; » unde homo mendax dicitur habere duplex cor. Duplex autem cor dicitur mentiens esse, id est, duplex cogitatio, una rei ejus, quam veram esse vel scit, vel putat, et non profert; altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans; ex quo sit, ut possit dicere falsum, non mentiens, si putat ita esse, ut dicit, quamvis non ita sit; et ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, et pro vero enunciat; ex animi enim sui sententia, non ex rerum ipsarum veritate, vel falsitate mentiens aut non mentiens judicandus est. S. TH., l. LX.

Idem Doctor tres condiciones requirit, quæ mendacii malitiam constituunt: Quod falsum sit id, quod enunciat; et quod adsit voluntas falsum enuncianti, et iterum intentio fallendi; tunc est falsitas materialiter, quando falsum dicitur: et formaliter, propter voluntatem, falsum dicendi, et effectivè, propter voluntatem, falsitatem imprimendi. Quin et modernus quidam scriptor mendacii

circumstantias paucis hisce insinuat verbis: Ad mendacium requiruntur voluntas dicendi falsum, locutio ipsa, et significatio mentis iudicio contraria; ex quibus consequitur alterius deceptio.

Diviso. — Dividitur a S. Augustino et aliis in *Jocosum*, quod sit sola mentiendi libidine, vel cupiditate placendi aliis. *Officiosum*, quod nulli obest, sed tamen alicui prodest ad vitam vel aliud bonum servandum, vel malum arcendum. *Perniciosum*, quod nulli prodest, et alicui obest, vel contra fidem aut honos mores esse deprehenditur. S. AUG., in *lib. de Mend.* S. Dorotheus alia tria genera his verbis assignat: Tria sunt mendacii genera. Primum est, cum quis animo. Secundum, cum verbo mentitur. Tertium, cum in vitam suam quis mendax est. Qui mentitur animo, is est, qui facile quasumque suspiciones admittit, utpote, cum viderit fratres colloquentes, ne de se loquantur. Sermone autem quis mendax est cum v. g. aliquis torpescens ad nocturnas vigillas surgere, febrem, inquit, passus sum, et vertiginem, caput dolebam, stomachi tormina patiebar. Et decies mentitur ne unicam penitentiam agat, et humilietur. Mentitur autem in vitam suam, cum turpis et luxuriosus continentiam simulat, avarus et tenax de elemosyna loquitur. S. DOROTH., *doctr. IX.*

Consonat cum S. Augustino S. Thomas, quando scribit: Tria sunt genera mendaciorum: quædam sunt pro salute et commodo alicujus; et hæc vocantur mendacia officiosa; est etiam aliud genus mendacii, quod sit joco et hoc jocosum mendacium dicitur. Tertium mendacii genus est, quod sit ex malignitate et hoc perniciosum mendacium appellatur, hocque ultimum magis et minus grave est juxta proportionem damni, quod operatur. Aggravat culpam mendacii, inquit S. Thomas, si aliquis per mendacium intendat alterius nocumentum, quod vocatur mendacium perniciosum: diminuitur autem culpa mendacii, si ordinetur ad aliquod bonum, vel delectabile, et sic est mendacium jocosum; vel utile, et sic est mendacium officiosum, quod intendit juvamentum alterius, et remotio nocimenti. S. TH. l. LX, ar. 2. S. Bonaventura tres assignat mendacii modos. Primo quidem dicendo falsum ex certa scientia. Secundo veritatem quidem astruendo, ast interius in conscientia sua contrarium existimando. Tertio loco (verba sunt